

AD TREVI. ARCHIEPISC. EPISTOLA NVNCVPAT.

virtutes tuas, quàm adulationis detestabili vitio seruijsse videamur. Vt ergò iam dicere cœpimus, T. C. hoc Dionysij opus grande & eruditum dedicamus, hoc obnixè rogantes, vt profolita benignitate & clementia tua placidus accipias sapientissime Pontifex, quod nos candidè exhibemus. Alij alia, eaquè longè præstâtiora fortasse munera offerunt: at nos pro nostra vili portione offerimus quod habemus: nec formidamus nè despiciat Tua Celsitudo munusculum hoc, quanuis exiguum, si precium spectes: immò verò hoc ipso illi gratissimum fore confidimus, quòd sit literarium, nec qualecùque sanè, sed ex medio diuinarum scripturarum corpore extractum. Sic enim persuasum habemus, T. Celsitudinem inter diuersas secularium ac spiritualium negociorum occupationes, inter medios curarum tumultus, inter tot occurrentium rerum diuersitates, libenter subindè ad legendas diuinorum scriptorum paginas, tanquàm ad gratissima animarum pascua recurrere, atque indè veram & salutarem haurire sapientiam, qua possis tum propriâ, tum aliorum salutè rectissimè consulere. Sed nè fortassis dum longior sum, etiam tædio sim, hîc finem faciens, Tuam Celsitudinem CHRISTO Opt. Max. medullitùs cupio esse commendatam in annos plurimos, vt

Ecclesia Treuirensis non solùm ab hæreticorum monstrosis docturâ liberetur immunis, sed etiam in dies à corruptis morib⁹, si qui fuerint, prorsus repurgetur, & ad pristinum veteris Ecclesiæ splendorem reformetur, vt iam pridem summo studio conari desinis, CHRISTI fretus gratia & auctoritate & animum suggerit & vires ad aggredienda pericula sint ad ipsius honorem & populi tui salutem. Vale
F. Bruno Loher à Stratis,
Carthusiæ Colonien
procurator.

estra

op.

Deditissimus
Seruitor

F. Bruno Loher à Stratis,
Carthusiæ Colonien
procurator.

INDEX